



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Vtrum pote[n]tiæ animæ sensitiuæ sint actiuæ & passiuæ, an
detur sensus agens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Sc, nec in quolibet animali omnes reperiuntur: ita etiam non est necesse ut omnes potentie animæ vegetatiuæ sequantur animam vegetatiuam ut sic, aut reperiuntur in quolibet specie eius; sed sufficit, quod non reperiuntur in aliqua anima, quæ non sit vegetatiua.

Quarto, in iis viucentibus in quibus generatiua & nutritiua reperiuntur, eas non identificari realiter.

Probat hoc: quia nutritiua per totum viuens spargitur, generatiua vero residet in determinata parte: ergo distinguuntur realiter.

*Probat*ur consequentia: quia idem gustatiua, & tactiua dicuntur distingui realiter, quia gustatiua est in determinata parte, v.g. in lingua, tactiua viro per totum corpus, aut saltem in aliis partibus.

Nec valet dicere generatiuam esse in toto corpore, licet habeat actum in determinata tantum parte propter dispositiones particulares quas inuenit in illa parte; quia idem posset dici de gustatiua contra omnes; & quia si nunquam habeat dispositiones in aliis partibus sufficienter ad illos actus, frustra poneretur à natura in illis: ergo debet dici quod ponatur in illa parte, in qua habere potest suum actum. Quænam autem sit illa pars, est res incerta etiam ipsis medicis, qui exactius de hac re agere solent; unde inter se circa hoc dissentiunt, aliquibus dicentibus quod residet in corde, aliis in hepate, aliis in arteria renum, aliis alibi.

4. Quinto, actus harum potentiarum non esse tam immanentes ac actus potentiarum animæ sensitivæ, ac rationalis, quia terminus per illas productus non recipitur in ipsismet potentiis, quod maxime verum est de actu potentiæ generatiuæ, cuius terminus est alia substantia à generante; possunt tamen dici immanentes, quatenus intra partes viucentis aut ipsimet termini, aut principium ipsorum ex quo fiunt, producuntur sic, ut naturaliter alio modo ab ipsis produci non possint, nec ab aliis similibus causis. Et hæc de prima animæ ut sic specie, sufficienter quoad suam naturam & potentias.

Quoad animam autem sensitivam, quoad substantiam non desideratur aliud, quam ipsius definitio, quæ est, quod sit actus corporis organici potentia vitam sensitivam habentis; aut quod sit actus primus, à quo habent substantia materiales exercere operationes sensitivas omnes, præter rationales spectantes ad animam rationalem, qua rationales.

QVÆSTIO I.

Utrum potentia animæ sensitivæ sint activæ & passivæ, & an detur sensus agens.

5. Potentia animæ sensitivæ, de quibus hic agimus, quedam sunt externæ, illæ scilicet, quarum organa apparent exterius in corpore, vel quarum actus sentiuntur in exterioribus partibus corporis, aut quarum actus non præsupponunt alios actus, ut sunt quinque sensus corporis, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Quædam sunt internæ, quarum actus interius percipiuntur, & præsupponunt actus illarum aliarum potentiarum, ut imaginatiua, & appetitiua. De his ergo quæritur hic utrum habeant virtutem productivam suorum actuum; & præterea utrum in se ipsos actus recipiant.

CONCLUSIO I.

6. Qualibet potentia sensitiva materialis est receptiva sui actus, neque adeo passiva. Hæc est communissima contra quosdam antiquos, & *Probat*ur primo, quia illi actus debent recipi in aliquo: sed in nullo potius, quam in illa potentia.

*Probat*ur secundo, quia dicuntur sensitivæ potissimum per hoc, quod experimentaliter per suos actus sentiunt obiecta, & ferantur in ipsa; sed non posset hoc ipsis competere, nisi reciperent suos actus.

Confirmatur: quia experimur intrinsecè in potentiis nostris illos actus, v.g. in oculo visionem, auditionem in aures, &c. Sed oculus, & aures sunt potentie sensitivæ: ergo potentie sensitivæ sunt receptivæ actuum suorum.

Advertendum tamen hic, quod qui dicunt sensationes, seu actus sensitivos materiales subiectari in sola anima, & corpus ad illos producendos effectivè tantum concurrere, aut in solo corpore, anima effectivè tantum concurrente, non posse dicere quod potentie materiales secundum quod constantur ex anima & corpore, sint receptivæ, seu passivæ, nec id est necesse ad veritatem huius conclusionis.

CONCLUSIO II.

7. Potentia sensitiva sunt productivæ suorum actuum, & consequenter sunt activæ. Hæc est communissima iam cum *Doctore* in 1. dist. 3. q. 7. n. 20. & hic q. 12. contra aliquos, qui existimaverunt actus sensitivos non distingui à speciebus impressis, & consequenter à solis obiectis produci. Et contra alios, qui quamvis concesserint actus illos à speciebus impressis distingui, tamen putaverunt eos produci à solis speciebus potentiis merè passivè se habentibus, & quoad species & quoad actus.

*Probat*ur: quia non potest alia aliqua causa assignari, quæ sufficiat: ergo debet dici quod sensus habeat activitatem respectu suorum actuum.

*Probat*ur antecedens: quia non potest produci à sola specie impressa, tum quia actus vitalis, quo sentimus, est perfectior quam illa species; tum quia illa species reperitur in potentia absque actu: hoc autem non esset verum, si esset causa totalis actui istius speciei. Nec etiam à solo obiecto, aut ab obiecto, & specie impressa simul potest produci iste actus propter rationem iam dictam, quia scilicet, & obiectum, & species non sunt tam perfectum, quam est actus vitalis, secundum plurimos; & quia obiectum, & species proponuntur oculo sufficienter, quin producatur visio, v. g. ut patet in dormientibus oculis apertis: sed hoc esset falsum, si essent causæ totales effectivæ istius visionis: ergo non sunt.

Dices: quamvis obiectum, & species sint causæ activæ ad æquatam visionem, ea tamen requirere advertentiam potentie, quæ à dormiente præstari nequit.

Contra, quia illa advertentia, vel consistit in productione, vel in receptione alicuius distincti à specie impressa: si in productione: ergo quandoquidem præstari debet à potentia, potentia debet esse activa: si in receptione: ergo quandoquidem illud aliud quod reciperet, non producatur ab obiecto, & specie solis, ut patet ex eo, quod non producatur in oculo aperto dormientis, sequitur aliquid aliud activè concurrere ad visionem præter obiectum, & speciem, quod est intentum.

8. Melius replicari posset contra hanc communem probationem, quod eodem modo, quo hic probamus obiectum, & speciem non esse causas ad æquatas visionis, probari etiam posset, ipsam potentiam cum specie, & obiecto non esse causam ad æquatam contra communem sententiam: ergo sicut non bene probaret hoc, ita neque illud.

*Probat*ur antecedens: quia oculus dormientis habens speciem in se receptam, & consequenter obiectum per ipsam applicatum eo modo, quo potest applicari, non producit visionem: ergo sicut ex eo, quod obiectum cum specie non producit visionem in oculo dormientis, colligitur, quod non sit causa totalis, etiam ex eo, quod oculus ipse cum specie & obiecto non producit visionem, sequitur quod non sit causa totalis, sed quod requiratur aliqua alia causa.

Et si dicas requiri quidem aliquid aliud, sed non quod sit causa, sed quod sit conditio, aut dispositio potentie in ordine ad recipiendam, aut producendam visionem; *Similiter* posset dici quod aliquid aliud requireretur præter obiectum, & speciem eius, non tamen tanquam causam sed tanquam conditio, aut dispositio potentie ad recipiendam visionem.

Hæc replica mihi enervat totam vim prædictæ probationis, quatenus ex eo, quod obiectum, & species possint esse sufficienter applicata absque visione, inferatur, quod requireretur activitas potentie, nisi ulterius perficiatur.

9. Probant alij: quia de ratione potentiarum vitalium est

Potentia illa sunt productivæ suorum actuum.

Probatio communis

Qualibet potentia sensitiva materialis est receptiva sui actus.

est, quod sint actiua; & actuum vitalium, quod producantur effectiue à principio immanentis: ergo obiectum, & species non possunt esse causæ totales; sed necessario debet admitti concursus actiuis potentia.

Hæc probatio manifeste petit principium, assumitur enim in antecedenti conclusio hic probanda.

Probatur ergo aliter: quia habere virtutem actiuam est perfectionis, & illa perfectio conuenit aliis potentiis nō vitalibus, & potentiis etiam vitalibus inferioris ordinis quam sint sensitivæ, vt nutritiua, ac augmentatiua; nec est inconueniens quod tribuatur potentiis sensitivis; ergo debet his tribui, quæ enim perfectio tribuitur rebus inferioribus, debet etiam perfectionibus tribui, si non constet oppositum.

Confirmatur hoc: quia nisi potentia vitales sensitivæ essent actiua, animalia non conuenirent cum plantis in ratione viuētis creati vt sic, contra dicta *disp. q. 1.*

Verum hæc confirmatio non est magni momenti, nisi ad hominem, si quis scilicet aduersarij concederet creatura viuētia omnia conuenire in ratione viuētis vt sic; quia quod dicebatur in illa quæstione de conuenientia omnium viuētium creatorum in vna ratione, supponebat omnia illa viuētia, vt talia, esse actiua; quod negari deberet ab his, qui negarent hanc conclusionem: vnde id assumere contra ipsos ad probandam hanc conclusionem esset petere principium.

Confirmatur melius: quia intellectus, & voluntas sunt actiua potentia; vt postea probabitur: ergo potentia sensitivæ, à paritate rationis.

10. *Obicitur primo*, Philosophus vocat sensum passiuum, & non vocat ipsum actiuum, ergo non est actiuus.

Confirmatur: quia dicit eundem esse actum obiecti sensibilis, & sensus, eumque recipi in sensu, & esse passiuum, quatenus in sensu recipitur; actionem vero, quatenus ab obiecto producit: ergo.

Confirmatur secundo: quia secundum *Aug. 11. Trin. c. 2.* forma ab obiecto impressa sensui est visio: sed illa forma est species impressa, & ad hanc non concurrunt potentia visiva; & consequenter non est actiua, non enim est actiua, nisi respectu visionis.

Respondetur negando consequentiam, quia per hoc quod vocauit passiuum, non negauit actiuum; & propterea vocauit passiuum potius, quam actiuum, quia habet sentire magis formaliter ex receptione actus, quam ex productione ipsius.

Ad confirmationem primam nego etiam consequentiam, quia quamuis sensatio, v. g. visio, sit actus obiecti, à quo partialiter producit, & sensus, in quo recipitur, & qui per ipsum sentit; & quamuis sit passio, quatenus recipitur in sensu, ac actio, quatenus producit ab obiecto; non sequitur quin etiam idem ille actus producat etiam partialiter à sensu, & sit etiam actio, quatenus sic producit.

Deinde posset explicari Philosophus de specie impressa, qui est actus sensus, & obiecti, & solū reipitur in sensu absque concursu actiui eius, ac ab obiecto solo producit; ex hoc autem nihil sequitur ad propositum.

Ad secundam confirmationem, respondeo distinguendo minorem: illa forma sola est species impressa, nego, nam species etiā expressa imprimatur ab obiecto, quatenus obiectum partialiter concurrat ad productionem ipsius: forma quæ imprimatur ab obiecto, est species impressa, sed non sola, concedo minorem: & nego consequentia.

Cetera obiectiones, quæ communiter opponuntur, fundantur in hoc, quod idem non possit aliquid producere in seipso; sed hoc esse falsum patet ex dictis in *Physica*.

Obicitur præterea: si sensus esset actiuus, semper produceretur visio saltem quoties applicaretur ipsi obiectum per speciem impressam: sed hoc est falsum, vt patet ex experientia illa oculi dormientis, in quo aperto recipitur species absque productione visionis: ergo.

Respondetur negando maiorem, quia potentia sensitivæ externa, præter speciem obiecti requirit etiam concursus spirituum animalium, aut vitalium, quorum accessus ad potentiam impeditur per somnum.

CONCLUSIO III.

11. *Non datur sensus agens distinctus realiter, aut formaliter à sensu patiente, seu à sensu, qui recipit sensationem, & per eam percipit obiectum.* Hæc est communis.

Probatur: quia nulla est necessitas talis sensus; nec indicium aliquod experientia, aut rationis, quod detur.

Confirmatur: quia si daretur sensus agens distinctus à patiente, vel quia deberet producere aliquid distinctum à sensatione requisitum ad ipsius productionem: vel quia eadem potentia non posset aliquid in se producere, neque enim aliud munus eius assignari potest. Non primum, quia nihil tale assignari potest, quod à sensu vilo produci potest: non secundum, quia, vt sæpe dixi, idem potest aliquid in se producere.

Confirmatur secundo, quia non ideo datur intellectus agens distinctus à patiente, quod intellectus, & habeat virtutem productiuam, & receptiuam intellectionis; sed quod necessarium sit, vt anima possit producere species intelligibiles, impressas, vt postea ostendetur: sed sensus non debet producere species sensibiles impressas, vt etiam postea videbitur: ergo non datur sensus agens.

Ex hac autem confirmatione patet solutio ad objectionem, quæ hic proponi solet: nempe, datur intellectus agens distinctus à patiente: ergo & sensus agens. Negatur enim consequentia, quia est aliquod munus, ad quod requiritur intellectus agens; nempe productio speciei intelligibilis; non datur vero munus, ad quod requiritur sensus agens.

12. *Obicitur præterea*: sensus, vt est productiuus, est agens, & vt est receptiuus, est patiens; sed vt est productiuus distinguitur formaliter à seipso, vt est patiens: ergo datur sensus agens distinctus formaliter saltem à sensu patiente.

Respondetur distinguendo maiorem: est agens, vt hic agitur de sensu agente, nego maiorem: in alio sensu, concedo maiorem, & concessa minori distinguo consequens: datur sensus agens, vt hic agitur de sensu agente, nego consequentiam, in alio sensu, concedo consequentiam.

Quod autem quando negatur sensus agens communiter, non capiatur pro sensu, qui habet virtutem productiuam, patet: quia alias non posset communiter negari, quandoquidem communiter tribuatur sensui vis actiua iuxta secundam conclusionem.

Capitur ergo sensus agens, prout negatur communiter ab omnibus, & in hac conclusione, pro sensu, qui haberet aliquam actiuitatem respectu alicuius alterius distincti à sensatione, & maxime speciei impressæ.

Et hinc aduertendum conclusionem potissimum intelligendam de sensibus externis: nam autem extendi debeat etiam ad sensus internos, dependet ab alia difficultate inferius examinanda, an scilicet sensus interni producant in seipsis aliquas species impressas necessarias ad producendas sensationes, quibus sentiant: si enim producant, admitti possunt sensus agentes interni; si non producant, non debent tales sensus asseri.

QVÆSTIO II.

Utrum sensus decipiatur circa suum sensibile.

13. *Hæc difficultas* præcipue locum habet in sensibus externis, pro cuius solutione.

Aduertendum est, sensibile esse, quod potest percipi per sensum, & ipsam sensibilitatem esse ordinem aptitudinalem ipsius ad sensum, quem ordinem dicit non tantum, vt est productiuum speciei sensibilis, vt vult *Auer- sa*; sed etiam vt est terminatiuum sensationis, seu actus quo percipitur; imo hic ordo multo magis pertinet ad ipsum, quia sensibile est, quam alter ordo, quia ab hoc solo haberet esse sensibile sine illo, & ab illo non haberet esse sensibile sine hoc, alias Deus esset sensibilis, quia potest producere speciem impressam obiecti sensibilis.

Sensibile per sensum externum est duplex, proprium, & commune: sensibile proprium est, quod ab vno solo sen-

Nō datur
sensui agens
distinctus
à patiente
re.

Quid est
bile pro-
prium, quod
commune.

su